2739.

1

Excellentiſsime et Summe Reverende
Collegii Antsologici PRAESES,
Vosque
Praecellentiſsimi, Clariſsimi, Nobiliſsimi
Ejusdem Collegæ.

Facile, tum quid scribam, tum, quid ad scribendum me impulerit divinabitis, nisi tamen Vestra Vobis modestia, favoris, quo me semper estis proſecuti oblivionem induxerit. Neque sic penitus obliterari solet, sed leviter quasi contegitur, ita ut in lucem facile nulloque negotio protrahatur. Illud si ego jam coner facere, ut in Vestrum Viri Graviſsimi conseſsum recipiar petens, audaciæ nolite judicare, fiduciam mihi Vos ipsos addidisse existimetis. Vestrâ scilicet benevolentiâ, non meâ quâdam dignitate fretus, illud Vos rogo, quod solis tamen dignis concedi non sum nescius. Quod si Vorum adscribi numero non merear, illud certe nullâ non operâ contendam, ut nec in indignorum claſsem conjiciar. Meritorum igitur defectum, docilitas semper, Vobisq commodandi promti-

3.

1v

tudo compensabunt. Neque enim unquam sum destiturus vel tanta per meos labores referre exempla, vel tot meis officiis demereri benefacta. His me virtutibus vitor optatis proficere, Vestrâ id effici poterit operâ, quod aliis nunquam quidem non sum secuturus, nunquam tamen perfectius clariorique in luce facere potero.

Lipsiæ, d. 11. Julii, A. O. R. CIↃIↃCCIX.

Tantorum Nominum

perpetuus cultor

M. Justus Gotthard Rabener.

1688 + 1731

2v
19604

Viro Excellentissimo et Summe Reve=
rendo, Collegii Anthologici Praesidi Gravis=
simo, ejusdemque Praecellentissimis, Cla=
rissimis, Nobilissimis Collegis, Patro=
nis meis atque Fautoribus summo=
pere colendis.